

470

468

474

464

479

459

419

369

Ende

Anfang

455

**De ecclesia: Gloria in excelsis Deo, ubi pastores
erant vigilantes.**

Per clivum consequenter descendimus per hortos olivarum,
et in vallem venimus latam, arvis et agris consitam. In medio
autem vallis vidimus ruinas magnas murorum, et antiquorum
aedificiorum reliquias, et ad illas ruinas nos convertimus. Et
cum ad locum venissemus, invenimus ecclesiam desolatam et
dissipatam, cujus tamen anterior pars remanerat. Cantor
autem incepit alta voce angelicum hymnum: **Gloria in excelsis
Deo;** et nos prosecuti sumus: **Et in terra pax etc., cum magna
solemnitate.** Cum illo ergo cantu per ruinas intravimus, et
in chorum descendimus, in quo adhuc stat altare contamina-
tum; tamen pergentes. Cum magna ergo alacritate cantavimus
Gloria in excelsis Deo et antiphonas (174 A): quem vidistis
pastores etc., et illam: Angelus ad pastores ait etc. Post
cantum oravimus in silentio et indulgentias recepimus (†).
Illa ecclesia stat in loco, in quo pastores simul erant in hora
nativitatis Domini Jesu, et ibi angelus Dei apparuit et astigit
juxta illos, et claritas Domini circumfulsit eos, dicens:
Annuntio vobis gaudium etc. Lucae II. In hac etiam ecclesia
est locus sepulturae pastorum illorum. Nam dum morerentur,
in nullo alio loco sepeliri volebant, nisi in loco gaudiosae
apparitionis angelorum, ubi audierant multitudinem coelestis
militiae cantare: **Gloria in excelsis Deo.** Super hunc locum
aedificavit S. Helena illam ecclesiam, et monasterium monia-
lium juxta eam, de quo etiam adhuc hodie in ruinis apparent
rota et locutoria, sicut moniales solent habere, et dicebatur
monasterium ad **Gloriam in excelsis.** Fuit autem satis mag-
num in circumferentia, sicut hodie cerni potest, et de lapidibus
quadratis et sectis fuerunt muri ejus per circuitum, sicut
videtur in cumulis lapidum ibi jacentium, quos Saraceni
nullatenus possunt auferre. Dicitur enim pro certo, quod,
quando conantur aliquos lapides asportare, tunc lapides ita
gravescunt, quod nullo modo possunt eos abducere, nec bestiis,
nec humanis auxiliis. Unde in clivo montis jacent aliqui
lapides, quos per aliquod spatium asportaverunt, sed tandem
coacti gravitate in via dimiserunt, Unde nulli sit dubium, si

